



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 22. Sancti Caroli epistolæ Pastorales pro jejunio adventus tempore servando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. tum sancto Archiepiscopo nuncu-
A.C. 1575. pabat.

§. XXII.

*Sancti Caroli epistolæ Pastorales pro
 jejunijs Adventus tempore
 servando.*

*Giuss. l. c.
 Hist. Eccl.
 Med. pag 7*

Cum sanctus Carolus non sine animi dolore cerneret, quod fideles de præparatione ad nascentis Salvatoris nostri solemnitatem digne celebrandam parum solliciti essent, hinc primitivæ Ecclesiæ disciplinam, quæ Adventus tempore in usu erat, restaurare nitentur: jam enim apud suos domesticos abstinentiam a carnibus, ovis, ac lacte præter alios jejunii dies intra hebdomadam introduxerat: verum pium hoc opus intra larium suorum fines duntaxat exerceri nondum contentus epistolam Pastoralem ad suum populum Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo tertio edidit, in qua veterem Ecclesiæ usum exponens cunctos fideles suæ curæ commissos hortabatur, ut hanc disciplinam resuscitarent, ac saltem a publicis festis, jocis, & convivijs tempore adeo sacro abstinerent, quatenus gratias per Dei Filium, ejusque Nativitatem mundo procuratas recipere mereantur. Nec suo successu caruit hæc epistola; quippe vix non omnes

Sæcul. XVI.
A.C. 1575.

omnes Diæcesium suarum subditi hoc jejunium observabant, ac frequentius Sacramenta recipientes in Ecclesiis, ac piis sermonibus magis assidui erant, hocque uberrimo fructu allecti pari sollicitudine jejunii verni præceptum religiose adimplere satagebant: insuper idem sanctus Præsul Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto paulo ante Dominicam septuagesimæ aliam edidit epistolam Pastoralem, in qua populum erudiebat, qua ratione juxta Ecclesiæ mentem quadragesimale tempus celebrare debeat, quam in rem præcepit, ut diebus Dominicis, ac festis a Septuagesima usque ad Dominicam primam quadragesimæ Sanctissimum Sacramentum in Ecclesia Metropolitana, ac in triginta aliis variis Urbis Templis exponatur, solemnesque instituantur supplicationes, ac frequentes ibidem habeantur Conciones, ut populus ad Ecclesiæ accessum attrahatur, atque a spectaculis, ludisque profanis removeatur.

§. XXIII.

*Sanctus Borromæus Henricum III.
e Polonia reducem invisens.*

Cum sanctus Archiepiscopus totum *Giuff. l. 3.*
ferme annum lustrandis suæ Diæ- *cap. 5.*

R 5

ceseos